



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. De Impedimento erroris personæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

bet in hoc secundo suo matrimonio permanere, qui lite pendente taliter contraxit, leparandus tamen ab hac posterius ducta, si pro valore prioris matrimonij pronuntiatum fuit, prout colligitur ex c. *Cum in Apostolica* 18. h. t. neque enim à jure Canonico sola litis pendencia super priore matrimonio impedimentum dirimens est, quamvis prohibeatur talis contrahere, ob periculum peccati, quod potest subesse, si prius matrimonium validum esset.

§. III.

De Impedimento erroris personæ.

ERror circa substantiam personæ, jure naturæ reddit matrimonium irritum (ob defectum consensûs in hanc personam, circa quam substantialiter errat) sive error hic sit antecedens, sive concomitans, cum ille contractum matrimonij cum hac determinata persona faciat involuntarium; hic verò concomitans error facit contractum cum hac determinata persona saltem non voluntarium, aufecens positivum consensum in hanc determinatè personam, qui tamen requiritur. Quod si tamen error sit tantum circa qualitates personæ, cū qua quis contrahit, putans ex errore nobilem illam, divitem, formosam &c. cum tamen plebeia illa tantum sit, mediocrius, vel etiam nullarum divitiarum, & pulchritudinis &c. quamvis error talis det causam contractui, & ex dolo contrahentis proveniat, non irritat quidem, nec invalidum facit Matrimonium cum tali errore, & per dolum alterius contractum, cum taliter contractum Matrimonium tantum involuntarium sit secundum quid, circa

qualitates aliquas accidentales, quæ tantum habent per modum alicujus causæ impulsivæ; potest tamen per accidens fieri, ut nullum taliter contractum Matrimonium sit, si scilicet qualitas, circa quam erratur, expresse apponatur per modum conditionis, cujus incuitu in matrimonium tale consentiat alter; expresse asserens, se non consenturum, nisi conditio talis subsit. Et secundo si error circa qualitatem redundet in errorem personæ. Prout pluribus explicant Theologi morales, qui videri possunt.

§. IV.

De Impedimento Matrimonij orto ex cultûs, sive religionis disparitate.

Disparis cultûs, & religionis censetur illud matrimonium, quod à fidei baptizato, cum infideli non baptizato contrahitur: esse autem hanc cultûs disparitatem impedimentum dirimens matrimonij, jure Ecclesiastico introductum, ita ut nullum sit tale Matrimonium fidelis baptizati cum infideli non baptizato, communissima praxis Ecclesiæ docet, ex traditione Apostolorum, in vim Legis obligante, quibus videbatur inconveniens, à fidei contrahi Matrimonium, quod non est Sacramentum. Quod si verò persona Catholica cum hæretica contrahat, illicitè quidem facit (nisi iusta dispensatio, vel communissima praxis, & recepta consuetudo, ubi hæretici cum Catholicis permixti vivunt, uti fit in nostris partibus septentrionalibus, licita talia faciat) si sine perversionis periculo, & liberorum in hæresi educandorum conditione contra-